Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

turba concluditur. hamo singularis eligitur. O si mihi liceret illius hamum uorare, qui aduteret os meum et leuigaret salutem uulnere. Intrate ergo filiae in apostolorum retia, quae non hominis auctoritate sed dei uoce laxantur. Recte enim sapientiae spiritalis atque doctrinae regnum celorum est, quia scriptum est. simile est regnum celorum reti misso in mare. Audistis hodie dicentem dominum ihesum symoni duc in altum et laxate retia uestra in capturam. Ante non ducebat in altum PETRUS quando piscabatur in stagno. et si mare erat. altum non erat. Altum mare scriptura nescit. Quid ergo sit altum accipe. Aqua alta. consilium in corde uiri. altum cor uiri est ubi nichil uadosum est. Duc ergo in altum disputationis tuae fideique remigium. duc in cor uiri per parabolam. Hic uocat ad ecclesiam petrum. quem secundum mattheum simplici uocauit sermone dicens. uenite et faciam uos piscatores hominum. Est et aliud misterium.

Duc in altum. quia ante in harena erat quando in sinagoga erat. Aqua non erat alta iudea. Denique et samaritana et puteum putabat altum dicens. et puteus altus est. unde mihi dare habes aquam uiuam. Non ergo ducere in altum poterat quando cum iudeis credebat. qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. Ideo dicitur petro. duc in altum hoc est duc ad christum. Altus enim christus est de quo dicitur ad iohannem a patre. et tu puer propheta altissimi uocaberis. Duc ergo ad christum. Et bene altum. in quo est altitudo diuiciarum sapientiae et scientiae dei. Duc in altum. quia altos super custodiet et exaltabit. Ibi ergo altae aquae ubi christus est. hoc est fidei aquae altae quae timent dominum quales illae. uiderunt te aquae deus. uiderunt te aquae et timuerunt. Apud iudeos aqua alta non erat quia non erat in corde uiri. ideoque dominus ait. populus hic labiis me honorat. cor autem eorum longe est a me. In corde amat christus esse. Sicut enim fuit ionas in corde ceti tribus diebus et tribus noctibus sic erit et filius hominis in corde terrae. tribus diebus et tribus noctibus. Denique ut scias quia de fide dicit duc in altum. ait petrus. Preceptor per noctem totam laborantes nichil cepimus. sed in uerbo tuo laxabo retia. Noctem habebat petrus. antequam christum uideret. Nondum ei uenerat dies. quia ueram non uide